

No. 237. 1451. 12. Oct.

*Notariatsinstrument über den Vollzug der Visitation des Thomasklosters.*

In nomine domini amen. Anno a nativitate eiusdem millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo die Martis duodecima mensis Octobris indictione tertia decima pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini domini Nicolai divina providentia papae quinti anno eius quinto in stuba infirmariae sancti Thomae canonicorum regularium ordinis sancti Augustini opidi Lipeensis Merseburgensis diocesis in praesentia mei notarii publici testiumque infrascriptorum ad hoc specialiter vocatorum personaliter constituti venerabiles ac devoti patres et domini Johannes Novi operis extra et Paulus sancti Mauritii intra muros opidi Hallensis monasteriorum praepositi Borchardo dicti monasterii sancti Thomae praeposito priore et reliquis dominis omnibus et singulis ibidem praesentibus necnon et reverendo in Christo patre ac domino domino Johanni episcopo ecclesiae Merseburgensis dicti loci ordinario in officiis huiusmodi visitationis auctoritate sua ordinaria cum dictis visitoribus concurrente capitulariter congregatis eis coniunctim per reverendissimum in Christo patrem et dominum dominum Nicolaum miseratione divina tituli sancti Petri ad vincula cardinalem per Almanniae partes legatum officio reformationis ac visitationis iniuncto et commisso satisfacere volentes littera et commissione dicti domini cardinalis palam et publice omnibus supradictis praesentibus prius ut referebant lecta et pro lecta habita dictos praepositos et fratres requisierunt an eos tanquam apostolicos visitatores et reformatores iuxta tenorem commissionis eis factae suscipere et admittere vellent. Qui matura deliberatione praehabita per oraculum dicti domini Borchardi praepositi responderunt, quod parati essent eos reverenter suscipere omnia et singula per dictum dominum cardinalem mandata et in eius commissione expressa pro omni possibilitate realiter adimplere, immo reverenter eo ipso tunc temporis ipsos receperunt. Deinde in continenti per alterum visitorum et reformatorem apostolicorum et quaedam cedula fuit dictis praeposito et fratribus reformandis alta voce et intelligibiliter lecta, quam quidem cedulam et omnia in ea contenta firmiter servare facere et adimplere stipulationibus manuum a dicto domino Borchardo praeposito incipiendo successive usque ad iuniorem fratrem inclusive intermissis realiter cum effectu promiserunt et eorum quilibet promisit. Cuius cedulae tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis: Ego frater N. promitto praesentibus in manus reverendi in Christo patris domini mei domini Johannis Merseburgensis episcopi necnon dominorum Johannis et Pauli Novi operis in et extra Hallis praepositorum auctoritate apostolica visitorum et reformatorem per reverendissimum in Christo patrem dominum Nicolaum cardinalem ad vincula sancti Petri per provincias Magdeburgensem et Moguntinensem ac ordinis canonicorum regularium utriusque sexus monasteriorum deputatorum, quod velim observantiam regularem et sanctam reformationem iuxta mandatum domini cardinalis mihi propositam abhinc successive in omni forma realiter et cum effectu suscipere et firmiter tenere et roketum Romanum in die natalis Christi induere et deinceps